



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Fasti Mariani Cum Divorvm Elogiis In Singvlos Anni Dies Distribvtis**

**Brunner, Andreas  
Pfeffer, Wilhelm**

**Antverpiæ, 1637**

S. VVenefrida V. M. 3. Novembris.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-44055**

Prætextatam, Nimirum, ait, egregia cognati sanguinis lena, mundo conciliabis DEO desponsam? DEVVM nauseas generum habere, terræ filium quaris? ex fronte virginis palæstram Veneris facis? ex oculis Cupidini muscipulas struis? ex capillis laqueos nectis amantibus? At non impune hæc facies. Iam enim, ut abstinere à lenociniis manus discant, arefcet manus: jam domum Christus EVSTOCHIVM, te orcus ducet: si porrò neptem DEO invides, certè morti conjugem liberosque non eripies. Atque hæc omnia evenisse ordine Hieron. affirmat. ô Superi! quid ad nostræ elegantiam ætatis dicitis; quando puellæ viros induunt, & (quod turpius longè est) calamistrati viri (phui) in puellas degenerant? S. Hieron.

Conditor Angelorum dum in præsepio vagiens reclinatur, non ostro, sed vilibus legitur panniculis involutus. Erubescat ergo terrena superbia & arrogantia redempti hominis, ubi erumpentibus radiis exorti coruscat humilitas Redemptoris. S. Petr. Dam. l. 6. Epist. 14.

S. VVENEFRIDA V. M. 3. Novembris.

**W**ENEFRIDAM nobile è Britannia Nympham CHRISTO Benvocus vir famâ sanctimonie id ætatis longè maximâ despondit. Nec abnuebant parentes in tam amplas spes filiam dare; sed obstabat Cadocus regis Alani filius, ausus castissimam & cælo datam fidem tentare, cum sola virgo domi ageret. Illa verecundata aliquamdiu tam inornatam se deprehensam, in cubiculum abiit velut mundum inde muliebrem petitura, reverà ad asylon (templum) properatura. At Amor tam magnus tyrannus quàm parvus puer pingitur, alas Cadoco insequenti suas præbuit. Hic prehensam virginem & reluctantem ense obruncat. Et ecce

& virtutis & sceleris præmia. Ad sanguinis fontem fons alter aquæ limpidissimus exfiliit, suaq; undas ita etiam hodie sociat, ut tamen ripam sanguine castissimo pictam numquam abluat, muscusque odorem virtutis semper spiret. Porro Benvocus Martyris caput ad latronem asportavit, ut in eo velut speculo facinus suum & videret & fleret. Cæcum morti in eo loco devovit, & VVENEFRIDAM, juncto cum corpusculo capite, vitæ reddidit. Et Cadoci quidem ajunt etiam corpus disparuisse, (Orco nimirum cum animâ tumulandum) VVENEFRIDAM verò in virtute tam doctam virginibus cæteris VVitheriaci magistram datam fuisse; illic miris multis illustrem ultimò concubiâ nocte ab ipso Christo sponso ad nuptias evocatum abiisse. Ad has quid nî Mariani etiam vos itis? Ite, & si vox virgo vobis est, Hymenæum (licet) canite. *Ex Surio.*

*Quid sit mundana dignitas & honor, apparet in pulvere; potestas & gloria cognoscitur in cinere; lascivia autē incontinentium & petulantia demergentur in barathri carcere. S. Laur. Justin. Ligni vitæ c. 5.*

S. MILUS EP. MART. 4. Novembris.

**M**ILVS Persa cogitabat stipendia sub rege facere. Sed cælum sibi auctoratum ad sua signa compulit, postquam horrido viso objecto, ostendit quàm malè ad tyrannum mundum fugitivi homines à DEO transiremus, etsi tot stigmatibus, quot beneficiis ab hoc notati. Nec diu Christo militavit, cum Pont. inauguratus ordines inter Christianos cœpit ducere. Sed non tam multæ gravesque illi cum hoste, quàm cum domesticis pugnae fuerunt: quamvis quæ pastore noluerunt, perierunt.